



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Clementis Papae III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

CLEMENTIS PAPÆ III. VITA. 33

celant feuda Parisiensia , & omnes illos qui sciunt super hoc aliquid , nisi illud reuelauerint Parisensi episcopo , vel eius mandatario.

59. Item præcipimus singulis presbyteris quod annuatim , idque in crastino sanctæ Trinitatis , anniuersarium omnium confratrum beatæ Mariæ per totam Parisiensem diocesim celebretur.

60. Præcipimus ut moneantur non Iudeis præstare rotas , secundum quod præceptum est , alioquin compellantur per excommunicationem.

N O T A.

* *Odonis.*] De venerabili Odone episcopo Parisensi ex Petri Ble-sensis epistola centesima vigesimali septima & centesima vigesima octaua hæc accipe : *Odo Henrici secundi Anglorum regis , & regis Gallorum consanguineus , inuitus ad episcopatum Parisiensem Mauricio mortuo raptus est : puer eleemosynas condiebat lacrymis : adolescentem Gregorius octauus pene pari episcopis honore exceptit , quem in Anglia reditum uberem habebas tribus scholasticis pauperibus dispergit deditque , ita ut paupertate sua ditaret.* Vide plura ibidem. Vixit ad annum Domini millesimum centesimum septuagesimumquintum.

ANNO
CHRISTI
1188.

VITA ET EPISTOLÆ CLEMENTIS PAPÆ III.

CLEMENS huius nominis tertius , patria Romanus , qui Paulinus antea nominabatur , ex cardinale Prænestino anno Domini millesimo centesimo octuagesimo octauo sub Friderico imperatore , octauo Idus Ianuarii pontifex factus est . Qui statim indicatam a prædecessore expeditionem ad terram sanctam promouere , eamque ad effectumducere laboravit , & indulgentiam confirmauit , statuens quod quicumque ea de causa sacram crucem suscepit , de omnibus peccatis , de quibus pœnitens confessus fuerit , auctoritate Dei & sanctorum apostolorum Petri & Pauli esset liber & absolutus . Hæc Rogerus : recensens etiam pro terra sancta recuperanda certam formulam precum ab eodem pontifice per singulos dies præscriptam . Cum senatu Romano conditioni-

Concil. Tom. 28.

Clemens
quid egerit.

E

34 CLEMENTIS PAPÆ III. VITA.

bus satis inquis concordia inita Romam redit. Inde mis-
fis legationibus ad reges Franciæ & Angliæ bello dissiden-
tes cogitationem omnem ad recuperandam terram san-
ctam conuertit, cum præsertim Saladinus omnem Antio-
chiæ principatum occupasset. Imperator & Christiani
principes eius piis conatibus assentientes arma arripue-
runt, ac ipsum imperatorem magno exercitu præeuntem
Franciæ atque Angliæ reges, Burgundiæ dux, cum Vene-
tis Pisani, aliquique quamplurimi subsecuti fuerunt. Eo tem-
pore Guilielmus Siciliæ rex absque liberis morte subla-
tus est. Sed Tancredus eiusdem Guilielmi consanguineus
vendicans sibi regnum bellum ciuale conflauit. Ad quem
pellendum Henricus rex ob Constantiam vxorem suam
heredem regni proximiorem in Italiam exercitum misit.
Cumque plurima damna rebellibus intulisset, re adhuc
infecta reuersus est in Germaniam. Pontifex Tanredo
fauens ei inuestituram regni dedit. *Neubrigensis.*

Exinde ad reformationem ecclesiasticam conuersus,
monasterium sancti Laurentii extra mœnia ædificauit,
palatum Lateranense reparauit. His paulo post confe-
ctis, quarto Idus Aprilis obiit, & sepultus est Romæ in ec-
clesia Lateranensi anno Domini millesimo centesimo no-
nagesimoprimo, cum ecclesiam tribus annis, tribus men-
sibus & quatuor diebus gubernasset. Huius etiam tempori-
bus Fridericus imperator post immensos superatos la-
bores in terra sanctæ expeditione, post viçtum in prælio
Soldanum Iconii peragrans partes inferiores Armeniae in
Caleph flumine rapido cursu vndarum eius absorptus in-
teriit, & successit eius filius Henricus iamdiu ante hæc
tempora in regem Germaniæ assumptus.

EPISTOLA I.
CLEMENTIS PAPÆ III.
AD EPISCOPOS SCOTIÆ.

Nuntiat iis Hugonem sancti Andreæ episcopum ab Urbano citatum, & contumaciter emanentem episcopatu depositum esse, suadetque Ioannem eligi.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus
Iocelino Glasueni d^r Matthæo Aberdensi episcopis, d^r dilec-
tis filiis Ernaldo abbati de Melros, d^r Bertramo priori de
Goldingham, salutem d^r apostolicam benedictionem.*

Ne in dubitationis recidant scrupulum quæ geruntur, dignum est literarum memoriae commendari, & ad illorum notitiam, quorum interesse videtur, celebri ac veridica insinuatione perferri. Meminimus autem quod bonæ memoriae Urbanus papa prædecessor noster Hugoni, quondam dicto episcopo sancti Andreæ, pro controversia, quæ inter eum & venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum vertebatur, sub excommunicatio- nis interpositione mandauit, ut ad certum diem respon- surus in iure aspectui se apostolico præsentaret. Verum quia conscius actuuum suorum, & euentum iudicii refor- midans, venire contumaciter recusauit, nos & pro hoc & pro aliis multis, quæ, crebrescente fama, ecclesiæ Dei scandalum pepererunt, ipsum ab episcopatu sancti Andreæ, de consilio & assensu fratrum, perpetuo iudicauimus apostolica sedis auctoritate remotum, & ab vsu episcopalis officii eo usque suspensum, donec apostolica fe- des duxerit de ipso aliter statuendum: absoluentes a fidelitate subiectos qua ei tenebantur adstricti. Sane, quia va- cantes ecclesiæ diutius regimine pastorali carere sanctorum Canonum inhibitæ sanctiones, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus dilectos fi- lios nostros, capitulum sancti Andreæ, ex parte nostra di- ligentius moneatis, ut sibi talem eligant episcopum & pa- storem, qui digne possit episcopalis officii dignitate potiri.

Concil. Tom. 28.

E ij

36 CLEMENTIS PAPÆ III.

Specialiter autem eos, quantum vobis possibile fuerit, inducere laboreis, ut memoratum episcopum Ioannem, virum bona opinionis, & pro sui honestate nobis & fratribus nostris acceptum, ad regimen & prælationem illius ecclesiæ sine cuiusquam scrupulo difficultatis assumant. Quod si omnes his exequendis nequueritis interesse, duo veltrum ea nihilo minus exequantur. Datum Pisæ decimo septimo Kalendas Februarii, indictione sexta.

EPISTOLA II.

CLEMENTIS PAPÆ III.

AD VVILIELMVM REGEM SCOTORVM.

Eiusdem argumenti.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei Vvilielmo illustri
Scotorum regi salutem & apostolicam
benedictionem.*

OCVLOS diuinæ maiestatis offendere non modicum aestimamus, si prælatorum excessus, quibus indulgere salua conscientia non possumus, per incuriam sine coercitione debita relinquimus. Vnde cum bona memoriae Urbanus papa prædecessor noster Hugoni quondam dicto episcopo sancti Andreae pro controuersia, quæ inter eum & venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum vertebatur, sub excommunicationis interpositione mandauerit ut ad certum diem responsurus in iure conspectui se apostolico præsentaret, & ipse conscientia actuum suorum, & euentum iudicii non immerito reformidans, ex contumacia venire contempsit, nos pro hoc & pro aliis multis, quæ crebrescente fama ecclesiæ Dei scandalum pepererunt, ipsum ab episcopatu sancti Andreae, de consilio & assensu fratrum, perpetuo iudicauimus apostolicæ sedis auctoritate remotum, & ab usu episcopalibus officiis eo usque suspensum, donec apostolica sedes duxerit de ipso aliter statuendum; absoluentes a fidelitate subiectos qua ei tenebantur adstricti. Licet enim ad honorem & profectus tuos, quantum cum Deo possumus, firmum habemus propositum intendendi, & in facto prædicti Hugonis curia Romana, non absque detractione multorum,

36 CLEMENTIS PAPÆ III.

Specialiter autem eos, quantum vobis possibile fuerit, inducere laboreis, ut memoratum episcopum Ioannem, virum bonæ opinionis, & pro sui honestate nobis & fratribus nostris acceptum, ad regimen & prælationem illius ecclesiæ sine cuiusquam scrupulo difficultatis assumant. Quod si omnes his exequendis nequiuenteritis interesse, duo veltrum ea nihilo minus exequantur. Datum Pisæ decimo septimo Kalendas Februarii, indictione sexta.

EPISTOLA II.

CLEMENTIS PAPÆ III.

AD VVILIELMVM REGEM SCOTORVM.

Eiusdem argumenti.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei Vvilielmo illustri
Scotorum regi salutem & apostolicam
benedictionem.*

OCVLOS diuinæ maiestatis offendere non modicum aestimamus, si prælatorum excessus, quibus indulgere salua conscientia non possumus, per incuriam sine coercitione debita relinquimus. Vnde cum bonæ memoriae Urbanus papa prædecessor noster Hugoni quondam dicto episcopo sancti Andreae pro controuersia, quæ inter eum & venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum vertebatur, sub excommunicationis interpositione mandauerit ut ad certum diem responsurus in iure conspectui se apostolico præsentaret, & ipse conscientiam suorum, & euentum iudicii non immerito reformidans, ex contumacia venire contempsit, nos pro hoc & pro aliis multis, quæ crebrescente fama ecclesiæ Dei scandalum pepererunt, ipsum ab episcopatu sancti Andreae, de consilio & assensu fratrum, perpetuo iudicauimus apostolicæ sedis auctoritate remotum, & ab vsu episcopalibus officiis eo vsque suspensum, donec apostolica sedes duxerit de ipso aliter statuendum; absoluentes a fidelitate subiectos qua ei tenebantur adstricti. Licet enim ad honorem & profectus tuos, quantum cum Deo possumus, firmum habemus propositum intendendi, & in facto prædicti Hugonis curia Romana, non absque detractione multorum,

haec tenus regiae serenitati detulerit : quia tamen clamor ipsius ad nos indubitata fide peruenit , nequiuimus errata sua vterius sub dissimulatione clausis oculis praterire ; propter quod nihil in hac parte credimus actum , de quo debeat animus regius quacumque ratione moueri . Rogamus autem deuotionem tuam prece & affectione qua possumus , & monemus in Domino , quatenus memoratum Ioannem episcopum , quem nos & fratres nostri profisi honestate sincero corde diligimus , pro reuerentia apostolicæ sedis & nostra in visceribus caritatis commendatum habeas & acceptum , remissa , si qua fuerit , concepta indignationis offensa , ipsum in omnibus regia clementia & benignitate pertractes . Credimus equidem , quod de industria & probitate ipsius tibi & regno tuo , auctore Domino , multum accedere poterit incrementi , & nobis usque quamgratum existet , si optatum apud regias aures preces nostræ fortiantur effectum . Datum Pisæ decimo septimo Kalendas Februarii , indictione sexta .

EPISTOLA III.

CLEMENTIS PAPÆ III.

AD HENRICVM REGEM ANGLIÆ.

De eodem.

Clemens episcopus seruus seruorum Dei Henrico illustri Anglorum regi salutem & apostolicam benedictionem.

CVM ab apostolica sede preces suscepit regalis excellētia , auctoritas & potestas , quas ecclesiis in suo statu seruandis , & multorum saluti expedit effectui mancipare , diligenter eas debet regia sublimitas exaudire , & tanto fortius & feruentius intendere , ut effectum consequantur optatum , quanto certius fuerit , quod earum deuota susceptio & diligens executio regalem gloriam respicit pariter & salutem . Hinc est quod serenitati regiae pro venerabili fratre nostro Ioanne episcopo sancti Andreæ literas apostolicas & preces duximus cum fiducia destinandas , altitudinem regalis eminentiæ quanta possumus affectione rogantes , monentes , atque in remissionem peccatorum omnium iniungentes , quatenus pro re-

E iii

uerentia beati Petri & nostra, & persecutionis eius obtentu, quam certum est ipsum iam longo tempore pertulisse, carissimum in Christo Vvilielmum filium nostrum illustrem regem Scotorum moneas attentius, & inducas, & si necesse fuerit districione regali, qua ei præmines, & concessa tuæ regiæ celsitudini potestate compellas, vt totius indignationis suæ rancorem, (quam erga episcopum concepit quorumdam malitia susurronum) regiam dignitatem & salubria opera pietatis attendens, ei qualibet occasione remota condonet, & dioecesin sancti Andreæ, quam de communi fratum consilio & assensu summus pontifex sibi perpetuo confirmauit, de cetero ipsum quiete permittat & absque calumnia possidere. Cum & ipse paratus existat regiæ maiestati, prout fuerit consentaneum rationi, existere in omnibus obediens & fidelis.
Datum Pisæ xvii. Kalendas Februarii, indictione sexta.

EPISTOLA IV.

CLEMENTIS PAPÆ III.

AD CLERVM EPISCOPATVS SANCTI ANDREÆ.

Pro Ioanne episcopo sancti Andreæ.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei vniuerso clero episcopatus
sancti Andree salutem & apostolicam
benedictionem.*

LICET in rebus dubiis valeant aliqui suam astutiam seu malitiam ostentare, cum tamen scrupulus fuerit, & articulus dubietatis amotus, & manifestis indiciis apparuerunt vestigia veritatis, penitus sunt deuia relinquenda, & rectitudinis tramites inquirendi pariter & seruandise, quod absit, aliter agentibus, & in sua pertinacia consistentibus, post flagella præsentia poenalsque condignas perpetuæ mortis interius supplicio deleantur æterno. Volentes ergo paterna sollicitudine vestræ saluti prospicere, & vtilitatibus & quieti vestræ prouidere, vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, & in obedientiæ virtute iniungimus, quatenus infra quindecim dies post harum susceptionem venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum vestrum, in

pontificali officio canonice subrogatum, sicut patrem proprium & pastorem suscipiatis humiliter & deuote, ac eius de cetero salubribus monitis & mandatis, omni similitate remota, debitam reuerentiam & obedientiam impendere minime postponatis: scientes quod postquam Hugo, qui vir olim episcopus dicebatur, per Romanam ecclesiam a vestri episcopatus dignitate fuit amotus, vel post eius decepsum, iam dicto Ioanne episcopo vestro superstite, aliquem fortasse episcopum elegistis, electionem illam auctoritate apostolica vacuamus; si vero (quod Deus auertat) in eumdem episcopum Ioannem, inimico humani generis suadente, aliquam conspirationem facere præsumpsistis, tam vos quam totum episcopatum tamdiu volumus interdicti sententiæ subiacere, donec agnoscentes excessum ad mandatum ipsius Ioannis episcopi redeatis. Datum Pise decimo septimo Kalendrum Februarii, indictione sexta.

EPISTOLA V.

CLEMENTIS PAPÆ III.

AD OMNES EPISCOPOS.

Pro eodem negotio.

Clemens episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Iocelino Glascuensi, & Matthæo Aberdensi, & Richardo Morœensi, episcopis, & dilectis filiis Ermulfo de Melros, & Hungoni de Neubotle, & de sancta Cruce, & de Struellina, & de Scona, abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad ea quæ respiciunt honestatem, & salutem pariunt animarum, quamuis absque monitis intendere beatis, & diligentem operam iuxta vestri officii debitum tribuere vos credamus, vestram tamen diligentiam ad maiorem in his sollicitudinem exhibendam literis apostolicis duximus exhortandam, ut eisdem operibus laude dignis tanto feruentius insistatis, quanto vobis salubrius erit in ipsis ad exhortationem apostolicam exactiorem diligentiam adhibere. Constat vtique quosdam ecclesiæ prælatos, cum his qui scandalizati fuerint debere pati iuxta normam apostolicam vñctionem, & cum infir-

mantibus infirmari. Quantas vero persecutiones his temporibus sustinuerit ecclesia sancti Andreæ, quantas calamitates incurrerit & pressuras, quam etiam grauiter hactenus fuerit perturbata sub umbra indignationis regiae celsitudinis, & quassata, insuper venerabilis frater noster Ioannes episcopus sancti Andreæ quot & quanta pericula sustinuerit & labores pro seruanda libertate ecclesiæ sibi commissæ, & ei a nobis & duobus nostris prædecessoribus confirmatæ, cum ea omnia vobis sint manifesta, illa vestris auribus inculcare superiuacuum videtur. Nunc igitur quamplurimum expedire dignoscitur, & de salute regia, & statu præscriptæ ecclesiæ reformando, atque pace ipsi episcopo conferenda nos conuenit sollicitudinem gerere congruentem, & circumspectionem vestram ad corroborandam nobis idoneum reputamus; discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus post susceptionem literarum nostrarum conuenientes in unum, sicuti decet viros prouidos & discretos, carissimi in Christo filii nostri Guilielmi illustris regis Scotiæ præsentiam adeatis, & eum moneatis diligenter, & instantius inducatis, ut episcopo memorato rancorem indignationis suæ remittat, & in hoc Romanam ecclesiam, quæ serenitati regiae iam longo tempore detulit, non contemnat: sed eius & vestris monitis, prout regiae gloriae conuenit & saluti, sine dilatione salubriter parat, & humiliter acquiescat, ac ipsum episcopum præscriptum diœcesim sancti Andreæ in pace permittat habere; cum ex debito regiae dignitatis ecclesiæ teneatur cum pastoribus suis non dispergere, sed souere, non contemnere, sed amare, non profequi, sed tueri. Quod si monitis apostolicis in propriæ salutis periculum (quod absit) duxerit resistendum, in regnum suæ celsitudinis, & personam suam, & omnes fautores regios nuntietis interdicti sententiam infra viginti dies sine appellationis obstatculo auctoritate apostolica a vobis promulgandam. Illos insuper, qui Hugoni obedientes extiterunt, & ei fomentum in sua obstinatione dederunt (postquam cum sedes apostolica a diœcesi sancti Andreæ remouit perpetuo, & excommunicationis sententiam in ipsum promulgauit) simili sententia percellatis, & publice nuntiantes

excom-

excommunicationi subesse tamdiu faciatis, & ab aliis ar-
ditiis euitari, donec ad mandatum ecclesiæ reuertantur
absolutionis beneficium ab eodem episcopo petituri. Ad-
hæc altaribus & calicibus, in quibus iam dictus Hugo
dum in excommunicatione positus celebrauit, purifica-
tionem & sanctificationem iuxta consuetudinem eccle-
siæ conferatis. Ad ecclesiam quoque sancti Andreae pari-
ter accedatis, & fratribus conuocatis in vnum intretis ca-
pitulum, & de ordine & statu ecclesiæ diligentius inqui-
ratis; &, si quid in eadem ecclesia per supradictum Hugo-
nem immutatum inueneritis vel statutum, auctoritate
nostra id in statum debitum inducatis; &, si quid in ipsa
fuerit corrigendum, efficaciter studeatis id in melius refor-
mare. Si vero (quod absit) aliquos ex canonicis ad reci-
piendum humiliter & deuote pastorem suum prædictum
duros inueneritis & rebelles, eos instantius moneatis ut
illi reuerentiam & obedientiam patri debitam exhibeant,
& a maligno atque damnabili proposito suo desistant.
Quod si contumaces extiterint, eos ab officio pariter &
beneficio suspendatis, & excommunicationis vinculo in-
nodetis, quo ipsos faciatis manere ligatos, donec monitis
& mandatis ecclesiasticis acquiescant. Quod si omnes his
exeundis interesse nequieritis, reliqui ea nihilo minus
exequantur. Datum Pisæ decimo septimo Kalendarum
Februarii, indictione sexta.

EPISTOLA VI.

CLEMENTIS PAPÆ III.

AD VVILIELMVM REGEM SCOTORVM.

De exemptione ecclesiarum terræ suæ.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio
Wvilielmo illustri Scotorum regi salutem & apo-
stolicam benedictionem.*

CVM vnuerfi Christi iugo subiecti ad sedem apostoli-
cam patrocinium inuenire debeant & fauorem, illos
tamen specialius conuenit munimine protectionis confo-
ueri, quorum fidem ac deuotionem in pluribus est exper-
ta, vt ad ipsius electionis fauorem tanto amplius prouo-
Conc. Tom. 28.

F

cetur, & eius reuerentia deuotiori affectione subdantur, quanto benevolentia ipsius & gratia pignus se nouerint certius asscuctos. Eapropter (carissime in Christo fili) reuerentiam ac deuotionem, quam ad Romanam te habuisse a longis retro temporibus ecclesiam nouimus, attentes, præsentis scripti pagina duximus statuendum, ut Scoticana ecclesia apostolica sedi, cuius filia specialis existit, nullo mediante debeat subiacere. In qua hæ sedes episcopales esse noscuntur : ecclesiæ videlicet sancti Andreæ, Glascuenfis, Dunkeldensis, Dumblinenfis, Brehinenfis, Aberdonensis, Morauiensis, Rosensis, Katinensis, & nemini liceat nisi Romano pontifici, vel legato ab ipsius latere destinato, in regnum Scotiæ interdicti vel excommunicationis sententiam promulgare, & si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adiicimus, ut nulli de cetero, qui de regno Scotiæ non fuerit, nisi quem apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinauerit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controuersiæ quæ fuerint in regno illo de possessionibus eius exortæ, ad examen extra regnum positorum iudicum non trahantur, nisi ad Romanam ecclesiam fuerit appellatum. Si qua vero scripta contra huius libertatis statuta apparuerint impetrata, vel in posterum, istius concessionis mentione non habita, contigerit impetrari, nullum tibi vel ipsi regno circa huius prærogatiuæ concessionem præiudicium generetur. Præterea libertates & immunitates tibi vel eidem regno, vel ecclesiis in eo constitutis, a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus indultas, & haec tenus obseruatas, ratas habemus, & illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat paginam nostræ constitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incurfurum. Datum Laterani III. Idus Martii, pontificatus nostri anno primo.

EPISTOLA VII.

CLEMENTIS PAPÆ III.

AD MERSEBURGENSEM ET EISTETENSEM
EPISCOPOS, &c.

De Ottonis Bambergensis episcopi & Pomeranorum
apostoli canonizatione.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus
Merseburgensi, & Eistetensi episcopis, & dilectis filiis sancti
Emmerami Ratisbonensis, & Suartzensi abbatibus, Deca-
no, & Scholastico Virtzburghensi, salutem & apostolicam be-
nedictionem.*

Ad audientiam nostram & quarumdam serie literarum & relatione multorum peruenit, quod diuina potentia per merita & interuentum beati Ottonis Bambergensis multorum est operata salutem, præcipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab apostolica sede transmissus, & in ea quampluribus miraculis donauit illi Dominus coruscare. Quoniam igitur, iuxta diuinæ scripturæ testimoniū, lucerna non sub modio, sed supra candelabrum Matth. 5. est ponenda, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus de vita ipsius & miraculis diligenter inquiratis, quæ nobis fuerunt per multorum literas indicata: & si non inueneritis aliquid quod obsistat, ipsum canonizatum auctoritate freti apostolica solenniter & publice annuntietis; anniuersarium diem sui transitus facientes, & publice annuntiantes, ad honorem Dei & ipsius beati viri memoriam solennem haberi. Datum Laterani tertio Kalendas Maii, pontificatus nostri anno secundo.